

fit numerus 3 accurate, vel inveniuntur termini duo contigui, inter quos numerus 3 contineatur proxime. His positis, inter 0 & 1, inferuntur tot medii arithmetice proportionales quot medii geometrici inferuntur inter 1 & 10. Quo facto, sumetur pro logarithmo numeri 3, terminus progressionis arithmeticae respondens termino jam invento in progressionem geometricam. Hoc artificium & patientissimo multorum annorum labore supputatae sunt logarithmorum tabulae.

Commodissimae sane sunt tabulae illae, etenim cum demonstratum sit productum ex duobus numeris logarithmorum summam respondere, eorum vero differentiae respondere numerorum quotum, per solam additionem & subtractionem compendiose absolvi possunt multiplicatio & divisio. Sumantur datorum numerorum logarithmi simulque addantur, numerus summam respondens in logarithmorum tabulis erit logarithmus producti; contra autem logarithmorum differentia erit logarithmus quoti, ac proinde inveniuntur numeri quaesiti. Simili ratione patet numerum quemlibet ad datam potestatem evehi, si toties sumatur numeri dati logarithmus, quoties per se ipsum numerus multiplicandus proponitur, hoc est logarithmus per exponentem potestatis multiplicari debet, & productum erit quaesiti numeri logarithmus; contra autem si numeri dati logarithmus per exponentem radice dividatur, quotus erit quaesitus radice logarithmus.